

VVANDELBERTVS MONACHVS PRVMIENSIS.



V Vanelbertus ille uir suo tempore doctissimus, in Germania habitus fuit. Erat enim in sacris scripturis & Philosophia Aristotelica optimè institutus, atq; magna eruditione præditus. Is cum huius mundi uoluptates contemneret, Prumiensis cœnobij ordinis S. Benedicti, Treuerensis dioecesis monachus factus est. Ibi præcibus & literis assiduus erat, atque soluta & ligata oratione multa opuscula cōponebat, quibus ingenij sui felicitatem posteris declarauit. scripsit ergo ibidem Martyrologium metricè, atque ad Marcuardum abbatem uitam S. Goaris presbyteri cum alijs. Claruit anno octingentesimo quinquagesimo, sub Lothario Im-

peratore. Trit.